

XVIII
1559(6)

ORATIO

DE VERA PERFECTI DOCTORIS CATHOLICI IDEA

HABITA

AD SENATUM ET ACADEMIAM
VALENTINAM

XV. KALENDAS NOVEMBRIS ANNI MDCCCXVIII.

A *BONAVENTURA PRATS*

SOCIETATIS JESU PRESBYTERO

EDITA

EX DECRETO ET IMPENSA EJUSDEM

PERILLUSTRIS VALENTINI SENATUS.

VALENTIAE EDETANORUM:

EX OFFICINA BENEDICTI MONFORT, EJUSDEM PERILLUST.
SENATUS TYPOGRAPHI.

PERILLUSTRI
VALENTINO SENATUI

BONAVENTURA PRATS È SOCIETATE JESU

FELICITATEM PRECATUR.

*Q*uod me hoc etiam anno , Perillu-
stris Valentine Senatus , amplissimo illo
honore , in media Valentina Academia,
Te praesente , dicendi , afficere voluisti;
mihi quidem non solùm perhonorificum,
sed etiam non incommodè accidit.

Quum enim priore anno , de singu-
lari in omni benè constituta Republica
Studiorum Humaniorum utilitate et ne-
cessitate , copiosè dixissem ; anno verò
proximè superiore , quantopere his arti-

bus, Majorum aetate, Hispania nostra excelluerit, non lesiter, ut arbitror, ostendissem: facile animadverti, ei rei perficiendae, quam mihi pridem demonstrandam proposueram, de omnimoda fovendorum istiusmodi studiorum necessitate, deesse non pauca.

Sciebam enim, ex hominibus parum peritis non defuturos nonnullos, qui ita dicerent: doctrinarum humanarum, humaniorumque studiorum scientiam, esse illam quidem civili hominum societati, et eruditae saeculi, ut ajunt, hominibus, sine controversia perutilem; sed minime illam videri Ecclesiastico Sapienti tantopere necessariam.

Existimavi igitur, nonnullum me operae pretium esse facturum, si id data opera, quod deesse adhuc videbatur, conarer ostendere.

Ita enim illud futurum arbitror, ut, quum hujusmodi studia non solum societati civili, atque adeo Hispaniae nostrae praesertim, quod jam dudum ostenderam; sed ipsi etiam per omnes superiores aetates Ecclesiae Christi, mirabili quadam ratione, hoc anno, profuisse docuerim: nemini jam dubium videri possit; humanarum disciplinarum scientiam cum civili, tum etiam Ecclesiasticae societati, omnibus et esse, et fuisse semper locis, et temporibus necessariam.

Quod quidem meum consilium gratissimum Tibi accidisse, P. V. S.; non possum non mirifice delectari: quod autem tenuem hanc opellam, amplissimis verbis, typis edendam impensa publica decrevisti; nae Tu quidem, et quantopere Tibi cordi sint, in hac inclita Valentina Academia studiorum omnium

*incrementa, ostendisti, et denuo me
Tibi, meosque Socios omnes, aeterno
amoris vinculo devinxisti.*

VALE.

DE VERA PERFECTI DOCTORIS CATHOLICI IDEA

ORATIO.

Quod duobus abhinc annis, hoc ipso in loco ornatissimo, alio quondam die me facturum esse promiseram; ut, quantopere Christi Ecclesiae Humaniorum Studiorum cognitio et ab ejus exordio ad haec usque tempora profuisset, et in reliquum omne tempus profutura esset, id vobis copiosè et pro amplissima rei dignitate disererem: hodierna tandem die, Auditores Amplissimi, pro hac mea, quaecumque est, quam esse tenuissimam scio, inveniendi vi, et facultate dicendi, praestare conabor. Atque ego quidem superiori anno, proposita ingenti illa Hispani nominis gloria, atque ad eam retinendam, amplificandamque Hispana omni juventute, et Valentina praesertim, incitata; satis mihi jam apud vos peroratum esse existimabam. Sed quum Rectori rerum omnium Deo non eadem scilicet visa sint; quumque etiam hoc anno nobilissima haec Urbs, et sapientissima Valentina Academia, quocumque demum pacto dicenti mihi

.....*Patientem accommodet auren:* (Horat.)
nimirum danda est opera, ut egregium aliquid, vestraeque sapientia non indignum proponere aggrediar; quodque sit ejusmodi, ut quamvis ingenium me, viresque deficiant, tamen rei totius propositae majestate, atque amplitudine illud saltem obtinuisse videar toties commendatum:

In magnis voluisse sat est.

2
Mihi igitur de hujusmodi aliqua invenienda re diu multumque cogitanti, quum nec levia, nec pauca proponerentur; tandem illuc, unde abieram, redeundum esse visum est; ut quae dudum leviter, nec satis pro rei dignitate tetigeram, ea nunc latius, et veluti per partes explicata proponerem. Itaque dicendum mihi esse intelligo, de Perfecti Doctoris Christiani illustri quadam et praecellenti Idea; quantopere illi saecularium doctrinarum cognitio necessaria sit; quae bella hujusmodi homini perpetuo bellanda,

Bellique causas, et vitia, et modos; (Horat.)
tum quibus artibus, quibusque consiliis, et occultis et apertis adversariorum conatibus obsistendum; tum de ipsa etiam divinarum rerum doctrina non pauca narranda, ea adeo omnia sine infinita quadam eruditione, perpetuisque vigiliis obtineri non posse: quae quum omnia et ratione et auctoritate gravissima primo loco docuerim; tum demum clarissimos semper triumphos D. D. catholicorum eruditione, et eloquentia á Christi Ecclesia reportatos, vobis qua fieri poterit brevitate, ante oculos ponam (1). Videtis profecto, A. A., quo meae perexiguæ vires gravissimo rerum pondere premantur. Date igitur operam, oro, obtestorque vos, ut me dicentem humanitate, et benevolentia vestra sublevetis.

Atque ut recte nobis, et ex ordine procedant reliqua; ipsius primum veri, et germani catholici Doctoris ideam proponamus. Non enim hic humi repentem aliquem quaerimus, et vix solo exstantem, sed egregium, et eminentem virum; qui in summo vertice collocatus, veluti arx quaedam firmissima, praesidio Ecclesiae civibus, hostibus terrori sit; qui docere possit eos, qui ignorant

3
et errant; qui tanta sit et sapientia, et eloquentia praeditus; ut facile possit eos, qui contradicunt, arguere; qui Scripturarum scientiam, rem immensi moliminis, complectatur totam; qui Sanae omnes astus, et mille nocendi artes pervideat; qui adversariorum conatus et odoretur acriter, et in lucem protrahat; et victrici eruditione retundat; qui denique ita sit animo comparatus, ut ubicumque bellum ingruerit, continuo periclitanti Ecclesiae praesto sit. Hunc hominem, virtutibus christianis omnibus praecipue ornatum, ecclesiasticae unitatis centro conjunctissimum, nihil jam, ut opinor, impedit, quominus illum esse dicamus, cujus ideam ante quaerebamus, catholicae Ecclesiae verum, germanumque Doctorem. Non enim hic agimus de humili christiana plebe, ex animo Christi fidem professas, ut olim de simplicibus turbis Christum sequuntis, quibus satis interea fuerit illud dixisse: *Haec fac, et vi-
ves* (2). De hujusmodi, inquam, ineruditae plebis Doctoribus hoc loco non loquor: de illo loquor populi christiani Doctore, qui sive tranquillum Ecclesiae affulserit, sive acris sit cohorta tempestas eloquio, vita, scriptis, omnique sanâ doctrinâ et mores regere, et adolescentes instituere, et confirmare stantes, et jacentes erigere, et adversae Partis vim omnem, conatumque repellere, et possit, et velit. Hunc igitur talem, tantumque virum, firmissimum Ecclesiae praesidium, quâ tandem suppellectili in tranquillo pacis ornatu inter suos procedere; quibus armis accinctum ad bella Christi, et adversus acerrimos ejus hostes, accedere oportet? Nimirum ita censeo, A. A., debere hunc hominem admirabili quodam vinculo, et veluti coelesti quodam connubio, arctis-

4
simè conjunctas habere apud se; sacram omnem humanamque sapientiam. Neque vero meum hoc est; sed ab ipsa Apostolorum aetate à viro sapientissimo, insignique Scriptore, mandatum litteris (3). Non dicam amicum, et hospitem Petri, planèque nostrum fuisse Philonem, Hebraeorum doctissimum, quod videtur arrisisse Hieronymo, quodque ego etiam propemodum adducor ut credam: Sed quidquid ejus rei tandem fuerit, fuit ille vir certe Pietate conspicuus, summa eruditione, et eloquentia, et quod caput est eum Ecclesia Christi, praesertim vero Alexandrina Catholica schola auctorem et ducem habuit Scripturae allegoricè interpretandae. Is itaque tantus Vir, de hoc divinae sapientiae cum studiis Liberalium Artium necessario connubio, in ipso Ecclesiae exordio, primus omnium eloquentissimè scripsit. Neque vero Paulum tacebo, qui quum sapientibus se et insipientibus debitorem esse cognosceret, non exemplo solum, sed verbis etiam, vitandum otium, disciplinas addiscendas omnes persaepe nos docuit. Quum enim sanctissimi illi viri viderent in utràque Ecclesia recens pullulantem illam honorum virorum sectam, in mediis persecutionum fluctibus paullo nimis tranquilli, et beati otii sectatricem; contra vero Sadducæorum, et Epicureorum, pessimorumque Stoicorum eruditam, ut videbatur, audaciam, imperitam Christi plebem avertere à veritate conantem: id quum viderent; illud optimum factu judicaverunt: videlicet, et beato illi otio, ignorantiae persaepe nutriculae, modum aliquem esse adhibendum, et huic alteri philosophico malo, accitis studiis disciplinisque omnibus obsistendum. Verum haec postea diligentius, quum per omnes supe-

5
riores aetates; quid opere ipso praestiterint Ecclesiae D. D., ostendam. Nunc illuc redeo, quoniam hae praecipuae sint artes, quibus et Philo, et eum sequuti P. P. omnes perfecto Ecclesiae Doctori dandam esse operam censent. Atque ego primum illud sanctè profiteor, me toto hoc loco nihil nisi de gravissimorum P. P., Hieronymi, Chrysostomi, Augustini, Basilii, Nazianzeni, caeterorumque veterum sententia esse dicturum (4). Principio igitur manifestum est, eum qui caeteros docere debeat minime illum quidem elinguem esse oportere. Doctrinis igitur illis, quibus sensim dicendi facultas perficitur, et ubertate et nitore verborum, proprietate et copia sententiarum, ut possit dilucide, copiose, et ornate de re proposita quavis disserere, quae omnia germana Dialectica, et docta Grammatica continentur; iis, inquam, doctrinis non mediocriter illum praecellere opus est. Nec tamen eundem hominem aequum est,

Rebus relictis, consensescere in verbis.

(Laur. Valla).

Ornetur igitur ille sanè eloquio nitido, et presso, et Tullianae simili puritati, quod tantopere in juvene Paulino suo commendat Hieronymus: sed sine beata quadam rerum copia, sonora tantum verborum volubilitate praestantem Doctorem habebimus, minime vero eloquentem. Docere enim movere, persuadere, refellere, dicendo aut scribendo vincere, et triumphare, ea demum eloquentiae suprema laus est. Rerum enim cognitione et copia sublata; unde eloquentes viri Tertullianus, Arnobius, Lactantius, Victorinus, Minutius, caeterique Ecclesiae defensores, ut Graecorum nunc magna nomina taceam, Justinum,

Clementem, Origenem, Tatianum, infinitos alios? unde haec omnes, nisi Eloquenti, et Dialecticae immensam quamdam eruditionis suppellectilem adjunxissent, tot unquam scriptis suis victorias de Ecclesiae, et Evangelii hostibus reportassent? Quo igitur perfectus nobis Doctor evadat, videtis, A. A., omnimodam illum rerum humanarum Historiam, loca scilicet, tempora, resgestas ipsas debere cognoscere: quod ipsum nihil aliud est, nisi Geographiam, Chronologiam, et eam, quae proprie Historia dicitur, minime illum latere aequum esse. Et sane Historiam, hoc est rerum hominumque praeteritorum notitia sublata, nihil magnopere quidquam aut dici, aut scribi posse, manifesta res est. At interest persaepe vel maxime, quo tempore, quove loco, res aliqua gesta dicatur ostendere. Magos ad Christum venisse in confesso est: Quoto vero post natum Christum vel mense, vel anno accesserint, controvertitur. Iesum ab iisdem adoratum ex Evangelio constat; at in ipsone Bethlehemitico antro, an Domi in urbe Nazareth, illud auctoritate P. P. gravissima, hoc rationum momentis, non levibus illis quidem, comprobatur. Quamquam, ut mittam toties in Ecclesiastica Historia hanc utramque doctrinam tantopere necessariam; tota quanta est ipsa sacra pagina, ab Adamo et primis Patriarchis, ad Christi mortem, et Spiritus Sancti adventum, Chronologiae praecipue amplissima materia est. Verum et illud incredibile dictu est quantopere Ecclesiae Christi hostes, et manifesti et subdoli, non solum hac proximè superiore aetate; sed à primis usque Ecclesiae saeculis, armis inde ex hisce studiis petitis; praecipua verae Fidei fundamenta conati sint convellere maxima opum vi. Falso illi quidem,

et adumbrata quaedam tantummodo veritatis specie; iis tamen artibus, quibus imperitum vulgus, et urbani etiam male feriat homines, parum periti, et veritate averti, et facili negotio capi possent; nisi praeclari sanctae Ecclesiae defensores eodem quidem armorum genere, sed longe praestantiore, obstitissent. Eodem, inquam, maxime tamen vario, armorum genere (5). Non enim eloquio tantum, aut Historia, aut Chronologia; sed Physicis etiam rationibus omnibus, Astronomicis, Criticis, Linguarum peritia, totaque Antiquitate, terra etiam, montibus, mari, universaque natura in auxilium vocata, Evangelium, Moïsem, Prophetas deturbare, et pessumdare sunt aggressi: interea dum interni hostes multo illis pestilentiore, acriori etiam in bonos odio, tota ecclesiastica Antiquitate vestiganda, doctrinamque vetustissimorum canonum revocanda (6), Bibliothecarum pulvere excutendo, detritis exesisque membranis diu noctuque incubando, praeclarum illud demum conantur efficere; Ecclesiam Christi modicam quamdam dumtaxat, ac prope evanidam superesse, eandemque jam pridem se, vel invisibilem, vel male visibilem, intra stagna, et tristes Batavorum nebulas abdidisse. Igitur, in nunc et huic tam vario, tam multiplici armorum genere armato, tam inveterato in Ecclesiam odio parato exercitui, inbellem aliquem, inermem, elumbem plane, et elinguem opponere Doctorem. Huic profecto, quum docto illo disciplinarum circulo initiatus non sit; ex his duobus alterum contingat oportet: ut aut mutus magis quam piscis, turpiter taceat, aut ea demum turpius proferat, quae utilius et rectius tacuisset. Atqui Physicas et Astronomicas istorum machinationes supra vix tetigi: iis tamen illi vel

maximè, nova mundi Genesi excogitanda, Rubri maris transitu irridendo, montium visceribus perscrutandis, aeternitate mundanae fabricae adstruenda, pervetustis et Aegypti et Orientis ruderibus eruendis, Moysem totus quantus est, infamare, et deturbare nituntur. Sic enim existimant: Prophetas omnes posteriores Moyse inniti, Christum Moyse, et Prophetis; remoto igitur semel Moyse (nam Christi miracula praeclari isti naturae sacerdotes irrident.) Evangelium Christi posse de medio tolli nullo negotio putant: Novi equidem adversus hujusmodi pestes, non tam homines, quam immania terrarum prodigia, atque portenta, plurimorum Ecclesiae defensorum clarissimis scriptis, per omnem ferme Europam, fuisse egregiè pro veritate pugnatum debellatumque. Tamen, dum pereunt ante oculos juventuti non satis consulimus, dum fatali quodam sopore, veluti post tot praelia, post tot vulnera fessi, malis interdum publicis indormimus, clarorum Ecclesiae triumphantum, oppido paucis exceptis,

Ad nos vix tenuis quaedam perlabitur aura:

(Virg.)

quum venena interim gallica, et anglica, totamque Ticinensem sentinam exaurire properet semper Hispanus aliquis institor

Dedecorum pretiosus emptor. (Horat.)

Verum ista post paulo: nunc ea quae praeclarae illi ideae germani Doctoris catholici eformandae, deesse adhuc intelligo, si vires tantae rei suppetent, plenius exsequar. Ponamus enim adversus tot infensissimos Christi hostes adesse nobis, divino aliquo munere, Athletam illum senem, tot palmis nobilem, Christianorum Tullium Lactantium huic, si placet, gravissimo seni adolescens nobilissimus,

eloquentiae laude clarissimus Paulinus accedat, adesse igitur istos Ecclesiae ponamus. Lactantius prostratum omne adversum Christianae Fidei dogma, lacteo illo dicendi flumine facillime obruet. Paulinus carminibus, eloquio, doctrina in ipso juventutis flore percelebris, et elegantissimo praeceptorum suo, Consuli Ausonio, carissimus, Magni Theodosii Leges Polytheismo adversas, Evangelio propitias, Apologia illa sua, tali Principe tali Oratore dignissima, egregie defendet. Verum quid deinde, A. A., quid censetis? nihil ne istis Ecclesiae defensoribus, quod ultra addi debeat, ulla ex parte deesse existimabimus? Ac de Lactantio quidem dicam, quod sentio; res est enim doctorum omnium consensione firmata. Utinam ille vir, quali quantaque vi potuit aliena destruere, eadem etiam nostra, sacra praesertim, confirmare potuisset! De Paulino vero meum non erit arbitrium (?): Hieronymum, viro amicissimum, tantae rei judicem dabo. *Macte virtute, inquit Hieronymus, quum Paulinum ad omnia praeclara adhortaretur: Oh! si mihi contingeret ejusmodi ingenium docere, quae didici, et mysteria tradere Scripturarum! Si haberes hoc fundamentum, si haec extrema manus operi tuo induceretur, nihil dulcius, nihil pulchrius, nihil doctius, nihil latinus tuis haberemus voluminibus.* Praecellentem igitur Ecclesiasticarum rerum, Divinarumque Litterarum doctrinam, Doctori illi catholico, quo perfectus nobis evadat, necessariam esse intelligitis: Quod nihil aliud est nisi penitus illum Christi Ecclesiam, et mysteria Scripturarum debere cognoscere. Ac quod ad Ecclesiam ipsam intus penitusque cognoscendam pertinet; manifestum est, universam illi ejus historiam animo complectendam: externa

bella, internos tumultus, scripta P. P., Concilio-
rum scita, quos canones dicimus, schismata, hae-
reses, clarorum etiam virorum errores, errorum-
que causas; in Maximo Nazianzenum, Constan-
tinopoli Epiphanium, in Antonio Augustinum,
in Chrysostomo Theophilum, in Hieronymo *motus*
illos (8) magno ipsi Augustino timendos: inter
haec Satanae infinitos astus, invidias, iras, in-
sectationes, studia partium, in Arriano praeser-
tim terribilo bello, in Nestoriana acerrima pugna,
tantopere deinceps etiam luctuosa; Eusebium fra-
terno amore seductum, laudatum vexatumque
Theodoretum: haec inquam et infinita alia his
similia, nisi catholico Doctore, missis tandem ae-
ternis logomachiis, missis omnibus tricis, titivi-
litiis, et tippulis levioribus, planè perspecta fue-
rint; & quo tandem ille doctrinae necessario appa-
ratu ad haec quotidiana bella adversus Eccle-
siae hostes apertos, simulatosque, bellanda pro-
cedet? Enim vero praecleara, et necessaria haec
quidem: verum his omnibus sacrarum scientia
Scripturarum accedat necesse est. Rem magnam
hoc loco aggredere, A. A., de Divinarum Liti-
erarum studiis multa dicturus, rem inquam
magnam, mihi quae etiam jucundissimam, quippe
quae nullam arctius à teneris unguiculis sim com-
plexus; verum et amplissimam ipsam per se, nec
facile brevi horae particulam percurrendam; tum
etiam parum fortasse hoc tempore necessariam:
quum tota hac superiore aetate doctissimi quique
viri catholicarum, et heterodoxarum partium, huic
sacrae criticae, immenso linguarum, doctrinarum-
que apparatu, et in usum revocandae, et doctis-
sime pertractandae tantopere desudarint. (9) & Et
de catholicis quidem quid attinet dicere? res est

omnibus, ut opinor, notissima: de adversa vero
parte utinam minus multi essent, qui criticis,
ut ipsi putant, rationibus, Moysen, Psalmos,
Prophetas, ipsumque adeo Evangelium non in-
quinassent potius, quam illustrassent. Clericos ego
dico, Grotios, Crellios, ingentemque illam Fra-
trum Polonorum Bibliothecam (10), Christi Divi-
nitati infensissimam, cum reliqua criticorum sa-
cerorum ex Anglia et Germania immensa turba.
Quorum tamen scripta non pauca ejusmodi sunt,
ut Doctore etiam catholico praetereunda non sint:
vel quod ante pugnam egregius bellator sciat
oportet, quoniam armorum genere hostis excellat;
vel etiam quod incredibile dictu est, quantam
illi adhibuerint diligentiam, ut prope singula
Novi, et Veteris Instrumenti; verba diligenter
excussa, ad linguarum origines, ad antiquitatis
sensus, ad regulas Criticae omnes exegerint. Sunt
etiam non pauci inter ipsos, mitiori ingenio viri,
et praecellenti doctrina, praesertim postquam
novorum Arianorum Sociniana pestis totum fere
Septentrionem infecit, qui multa pro verae fidei
dogmate, de Christo Deo, criticè, doctè, sapien-
terque elaborata ediderunt. Neque vero si haec
vera sunt, catholicisque etiam sui sunt Simonii,
Bossuetii, Calmeti, Lamii, Turnemini, Huetii,
Nicolai, Martini, alique, praeter veteres illos
Riberas, Maldonatos, Maluendas, Castrios, Ma-
rianas, aliosque non paucos; non, inquam, si
hoc ita est, idcirco etiam omne peractum esse
negotium existimare debemus. Immo per multa
sunt, de quibus ne ipsis quidem antiquis tempo-
ribus, viventibus etiam Judaeorum doctissimis,
satis constabat. Hieronymus, ita inquam, Doctor
ille Maximus, Nazianzeni et Didymi auditor per-

multa se ignorare fatetur, interdum etiam prope stomachatur, quibusdam illi propositis, ad quae planè quid diceret, non habebat. Quoties illi de Sacerdotum vestibus, de ritibus, eorumque causis diligenter quaerenti, ubi illum Josephus, aut Philo, aut Origenes deserunt, littera inexplicata, ad mysticos, et allegoricos sensus volenti, nolenti confugiendum est? quod et in Epistolis saepe, et in Levitico, et in Daniele, non raro contingit. Quid de Chronologia dicam? ut viro, sine dubio doctissimo, saepe haereat aqua! Ejus in Danielem Commentarii elaboratissimi sunt; res enim ipsi erat tum maxime contra Christianae Religionis adversarium, minime contemnendum, Porphyrium: ibi illum memini chronologicis quaestionibus irretitum, nisi *Allegoricus noster* (hoc jam appellat nomine Origenem) Antichristi, et extremorum temporum typo juvaret, non habere planè quid diceret. (11) Quid dicam de ipsis singulis penè vocibus, de *Selah*, de *W*, de *amen*, de *Deuteroprôto*, innumeris aliis illa etiam aetate parum, aut malè notis, et hodiernis etiam eruditissimis hominibus integris Diatribis, nec nisi conjiciendo, tractandis? Ita ne igitur peracta erunt omnia, nihilque nobis erit reliquum, quod agamus? Quid vero si ex altera parte Calvinus, aut ejus aliquis assecla, clamitent; de libero hominis arbitrio nihil nisi

Rumores vacui, verbaque inania,

Et par sollicito fabula somnio: (Senec. Trag.)

(12) Graecos omnes P. P. Philosophia et Platone deceptos sacras nescisse litteras; se tandem, de coelo delapsos, ex male consultis pauculis Augustini centonibus (proh dolor! nos hos quaesitum munus in usus), quod rei tandem in Scripturis

Gratia Christi sit, dormienti et oscitanti Ecclesiae paratos ostendere? Quid si Crellius non tam neget apertè Jesum Christum Deum, quam illud, blande, et modèstè, et perhumandè interroget: *Ubi scriptum est?* atque ubi tu ad Scripturas scilicet apertissimas provocas, tum ille praefracta fronte, nihil quidquam tibi neque in Prophetis, neque in Psalmis, neque in ipso Evangelio de Jesu Nazareni vera Divinitate perscriptum esse contendat? (13) Quid si Grotius, magnus ille Grotius, Prophetis neget de Jesu vero Deo rem esse tractandam, Prophetas enim alia scilicet omnia cogitasse; miraculis nobis esse vincendum: ubi vero ad singula miracula accedas, non satis apertè rem liquere pronunciet, verum se tota ea de re ampliandum censere? Quid si alius tibi neget novus Porphyrius, Danielis tantopere Evangelio faventis, esse authenticum Vaticinium, sed male lacerum, et sublestae fidei? Quid si Moysen alius astutum quemdam Phoeniciorum et Aegypti clamet esse plagiarium; Evangelium vero magnam partem ex Platone desumptum? Stultè quidem et impudentissimè haec omnia: sed quid, si haec illi, vera imitantibus elegantibus fabulis, spargant in vulgus? Tot istis adversariorum plagis noster aliquis Doctor hinc, inde, et ex omni parte petitus, nisi per omnem Scripturarum campum incedere, peritè, doctèque multo ante dediderit; qui fieri poterit ut ex tam impari varioque certamine victor excedat? Verum jam tempus est, ut iis artibus quibus vincere oportet Catholicum Doctorem expositis; ad ipsas tandem victorias; clarissimosque triumphos, per omnes superiores aetates de innumeris christiani nominis hostibus, ab ecclesiasticis viris his studiis, hisque

14
artibus, ab Evangelii exordio reportatos, icon-
vertatur oratio.

Atque splendida Christi bella splendorumque
triumphos, ab ipso splendidissimo omnium bel-
latore, Doctore gentium Paulo, si placet, exor-
diar. Neque illos dico triumphos, et bella Pauli,
quibus in ostensione spiritus, et virtutis, signis
Apostolatus sui, in promptu habuit, ut ipse lo-
quitur, omnem inobedientiam Evangelio subicere;
quibus enarrandis ne illud quidem os aureum
Magni Chrysostomi par unquam fuit; non, in-
quam, ego illos attingam, ne cui voluisse videar,
sublimia, admiranda, divina,

Culpa deterere ingeni: (Horat.)

(14) Sed magnos P. P. Hieronymum, Ambrosium,
Chrysostomum, Augustinum sequutus, Paulum
etiam dicam fuisse Eruditione multa, praecipua
Dialectica, incredibili dicendi vi, denique adhor-
tatione et exemplo, iis qui postea eundem cer-
tavere certamen, coryphaeum, et duce. Neque
enim Paulus, indoctus, ut reliqui Apostoli, ad
gentes et sapientes est missus; sed multo prius
et sacris et profanis litteris eruditus. Non enim
solum ad pedes Gamalielis, viri ejus aetatis doctis-
simi, Moysen et Prophetas, ut ipse gloriatur,
accurate, et diligenter didicerat; sed, ut ex ejus
scriptis et gestis manifestissime apparet, et Corin-
thi, et Tharsi, et Athenis, et in Hellenistas, et
in Epicureos, ac Stoicos, et in Epistolis ejus cla-
rissimis, apud Hebraeos ipsos, et ethnicos diutis-
sime in admiratione habitis, Philosophorum etiam
fuerat libris, et Poetarum carminibus innutritus.
Epistolas vero ipsius, i boni Superi! quis un-
quam se laudasse satis confidat? Mitto alia prae-
stantiora et divina: de arte et eloquentia loquor.

15
Ut ille vias omnes docendi, movendique sapienter
aggreditur! ut blande omnes aditus tentat! ut
docte copioseque controversias dirimit! ut mi-
rabilibus hyperbatis et rapit et tenet! ut inter-
rogationibus premit! ut denique dicendi impetu,
et veluti torrente quodam totus assurgit; et ea
quae adversari videbantur solo aequat, planaque
triumphat! Nihil igitur mirum, si sacrum illud
pectus, Deo plenum, iis etiam adhibitis disci-
plinarum auxiliis, de multiplici polytheismo, de
haeresibus, de variis Philosophorum sectis, de
erroribus omnibus, toties pro Christo, et Ec-
clesia victor evaserit? Quid deinceps dehorta-
tionibus dicam, quibus ejus discipulos adolescen-
tes Timotheum, et Titum, non solum ad sacras
litteras, sed etiam ad disciplinas quascumque
laude dignas cognoscendas inflammat? Neque ta-
men apud posteros, ut opinor, haec frustra (15).
Nam Pauli exemplum, non Hermae, aliorumque,
piorum certe virorum, sed qui non essent ad lit-
teras, et eloquentiam facti, sequuti Apostolici
viri, eorumque deinceps sectatores, illud optimum
factu judicarunt, quod Philo scriptum reliquerat,
quodque et Hieronymus summa vi, et non mi-
nore Augustinus, omnesque, duce Origene, Graeci
P. P. uno ore commendant. Spoliandos videlicet,
Augustinus ait, aureis et argenteis vasis suis
Aegyptios: extorquendos de manibus hostium, cla-
mat Hieronymus, gladios; et Goliae superbissimi
caput proprio mucrone truncandum.

Haec magnis placere viris.

Itaque hac arte, his doctrinis armati adversus
Christi hostes in aperta praelia processerunt. Missis
itaque interea Josephi et Philonis, adversus Moysis
et Prophetarum adversarios claris victoriis; veniam

ad nostros, et Eusebio, Hieronymo, et Augustino ducibus ad istorum usque aetatem curram per singulos. Atheniensium Episcopus, Apostolorum discipulus, Quadratus vir inclitus, Adriano Principi mirabilem Apologiam pro christiano dogmate; eidemque, eodem ferè tempore, Aristides christianus Philosophus Apologeticum obtulit librum totum sententiis Philosophorum contextum: quibus vehementer permotus, planèque victus miti ingenio Princeps, gravissimae persecutioni finem imposuit. Sed proxime post Adrianum, Antonino Principe, novo triumphatore opus fuit. Prostrato etenim prius, planèque confecto, doctissimo illo dialogo Tryphone Judaeo, multis scriptis clarissimus, Philosophus, et Christi Martyr Justinus, doctissima illa nostri dogmatis Apologiam Principibus, Romanoque Senatui oblatam (cujus nobis monumentum reliquit omni aere perennius) egregium denuo pro Christo et ejus Evangelio triumphum duxit. ¶ Io igitur, A. A., vincenti in omnibus Christo, io triumphes! At succrescente haeresi, domestico malo, decepto praesertim illo, quem, ubi in fide integer, et sanus est, non dubitat appellare Hieronymus praecipuum post Apostolos Ecclesiarum Magistrum, clarissimo Martyrum duce, Confessore et ipso fortissimo, Origene tandem decepto (16); de hoc, inquam, ingenti Ecclesiae malo, viscera ipsa petente, qui ingentes pluresque reportarent victorias, ingentes etiam pluresque Fidei nostrae auctor, plaudentibus ad spectaculum angelis, excitavit victores. ¶ Quis enim te, Tatiane, te, Apollinari, te, maxime Irenaeae, et ut reliquos interim taceam, te, (17) Methodi sanctissime Episcopo, eloquentia, eruditione, martyrioque clarissime, quis, inquam, vos,

triumphatores nobilissimi, silentio praeterire possit? ¶ Io igitur Christo, et Ecclesiae io triumphes! Sed ecce tibi denuo externa bella. Evangelii et Apostolorum criminatores accerrimus, Epicureus ex altera parte impudens Celsus; ex altera vero Philosophus sane nobilis, moribus, eruditione, eloquentia verendus, Porphyrius, in Christianum omne dogma uno impetu ferocissimè irrumpunt. ¶ Quid igitur, A. A., orbata ne tum fuit Christi Ecclesiae defensoribus? Nihil unquam minus. Celso magnus Origenes, clarissimam illam Apologiam, (18) caeterarum omnium principem, tantopere Basilio Magno, Gregorio Theologo, Hieronymo, totique verae Ecclesiae caram (verae, inquam Ecclesiae; nam *Reformatae* quid placeat, nostram quid interest?) tanquam firmissimum Christiani dogmatis murum opposuit. Quumque paulo ante adversus errores ethnicorum omnes Stromaton maximè, et Hypotyposeon libris decertasset ejus praeceptor, Alexandrinus Clemens, vir, inquit Hieronymus, *omnium meo judicio eruditissimus*; ipse Stromateis suis omnia prope Christiana dogmata gravissimorum Philosophorum sententiis confirmavit roboravitque. At Porphyrium pugnacissimum, et robustissimum bellatorem, planeque timendum; tum alii non pauci, tum praecipue Triumviri illi clarissimi Eusebius, Apollinarius, Methodius, scriptis ipsi eruditissimis devictum prostratumque dimiserunt. Legantur ii, sed eorum lingua doctè, et sapienter, et meditatè legantur, et facile, ut Hieronymo visum, nos omnes eorum comparatione pueros esse quosdam et imperitissimos apparebit. Interea dum haec in Oriente geruntur; bella alia pro Christi Ecclesia bellabat Occidens. ¶ Etenim adversus calumnias in christia-

num nomen, adversus mores, et ritus, et idola gentium qua eruditione, quo robore, qua Periclea et Demosthenica vi pugnabat interim Tertullianus? Quae sensuum beata copia, quo splendore verborum, qua historiarum scientia omnium oculos perstringebat, vincebatque Cyprianus? Et tamen egregios reliquos taceo bellatores Minutium, Arnobium, Lactantium, Melchhiadem, Pierium, Hippolytum, Pamphilum, totasque Christianae Graeciae cohortes; in quibus, quid potius mirari debeas, ardorem ne fidei, an saeculi eruditionem non facile intelligas. Io igitur Christo et Ecclesiae, io triumphe! At toties devicta haeresis, toties debellata gentilitas, toto denuo quarto, et quinto saeculo, acris et conjunctis viribus in Christi Ecclesiam exarserunt. Quae igitur dicam? Quae Furorem ne hostium, an pugnarum numerum, an ipsos ex utraque parte paratissimos duces? Sed brevitati scilicet, et patientiae vestrae consulendum. Quandoquidem

*Non mihi si linguae centum sint, oraque centum,
Omnia pugnarum percurrere nomina possem,
(Virgil.)*

quas tota illa tempestate, duce et auspice Christo, pugnavit Ecclesia. Etenim Pauliani, Sabelliani, Ariani, Semiarianique, Anomoei, Eunomiani, Macedoniani, Nestoriani, Severiani etiam, Euty-chiani, non nomina quaedam inania; sed potius totidem fuere in Ecclesiam haeretici furoris exercitus. Interea judaica ubique rabies, insanus in Christi fidem Juliani Principis furor, Philosophicus Atheniensium et Alexandrinorum sophistarum, humilia Evangelii contemnentium tumor, eloquens, astutus, varius, et potens hostis pro gentium Diis, Senatu non obscure favente, Aurelius Sym-

machus, (19) quam acris, quam multiplici bello Evangelium Christi ejusque sectatores presserunt. Quae eorum igitur eloquentiae, eruditioni, et furori cessit ne victa, manusque dedit Ecclesia? minime unquam gentium; immo si quando alias, tunc vel maxime clarissimis ubique ducibus christiano exercitui praepositis pugnatum acriter, debellatisque hostibus triumphatum. Quis enim quantusque Arius, et servus foeminae Paulus, (20) audacesve Sabellius, et Eunomius, aut versipellis Nestorius, cum ingenti Athanasio, cum Basilio, Nysseno, Nazianzeno, Chrysostomo, Alexandrino Cyrillo, clarissimis et Ecclesiae, et doctae Graeciae ornamentis, comparandi? Jam vero contra maximum Augustinum, pulsus debellatisque Manichaeis, Donatistis, Pelagianis; excitato in Symmachianas Ethnicismi partes Orosio; in eosdem a se edito immortali illo et plane aureo de Dei Civitate opere, spoliis Occidentis onustum: Hilarium Arianae parti viribus ubique omnibus adversantem: Ambrosium Symmachianas artes semel, iterum, ac tertio propulsantem: Hieronymum inter utrasque positum Orientis et Occidentis pugnas, velut immotam aliquam Oceani rupem, omnes in se pro Christo et ejus Ecclesia haeticorum impetus sustinentem, et prope incredibili dicendi vi, omnique sacra et profana doctrina, eorundem machinationes, et insidias repellentem: Quae contra tot, inquam, fortissimos bellatores, quid denique aut spurca et stolidi Manichaeorum somnia, aut tricae et sophismata Pelagiana, aut dormitator ille Vigilantius, aut impurissimus Jovinianus, aut caeterae haeticorum quisquillae.

.....Possent ruentes? (Horat.)
illud videlicet, ut post tot pugnas, tot praelia,

feliciter superatis hostibus, victori tandem Christo, et Ecclesiae, io caneretur ubique, io triumphe! Deesse tamen videbatur tot apologeticis, tot paracleticis libris, in ipso pugnandi ardore conscriptis, extrema manus. Id vero sedato animo, quanta fieri potuit diligentia, eruditissimis ad Graecos ethnicos scriptis libris, perfectum Theodoretus reliquit. Quae deinceps consequuta sunt praelia, extinctis sensim ad Occidentem bonarum artium studiis, barbaris per Orientem foedissime debacchantibus; longe aliud pugnandi, vincendique genus postularunt. Sacerdotum conventibus celebrandis, retinenda vetere Religione, adeundis periculis omne genus, morte etiam alaeriter subeunda, adversus teterrimos Monothelitarum et Iconoclastarum furores, non saecularibus litteris, non Graeca et Romana eloquentia, pugnandum, et triumphandum fuit; feliciterque etiam, Christo propitio, pugnatum et triumphatum est. Nec defuisse dico, quod clemens Deus avertat, per obscura et turbida illa saecula, doctissimos Ecclesiae Christi et magistros et duces. Quis Gregorium, quis Isidorum, quis Maximum, quis Damascenum ignoret? Sed vincendi dico rationem, modumque longe fuisse diversa. Apud nostros enim per ea tempora, quidquid reliquum fuerat litterarum, manebat: neque tunc Porphyrii ulli, aut Juliani, aut Symmachi, aut doctae urbes Alexandria et Athenae usquam supererant. Quae vero rursus de novis semper postea Ecclesiae triumphis, restitutis aliquando aliquo pacto litteris, superessent narranda; ea notiora omnia vobis sunt, quam ut hoc loco in memoriam revocanda esse videantur. Unus tamen illorum temporum Magnus Aquinas aeterna grati animi memoria celebrandus;

quem Italia Lutetiam misisse mihi videtur, tanquam aliquem exorientem solem, densis Arabum Pseudo-Aristotelicis nebulis ex sacra primum Theologia pellendis; tum illo alio praecclarissimo opere, Manichaeorum et Gentilium erroribus omnibus, Geometrica plane vi, et ratione, invictissime propulsandis. Quid ego nunc de Lutheriana et Calviniana rabie, quid de Sociniana luce, quid de insanientis nuper Philosophiae non tam ducibus, quam in omne hominum genus publicis archipiratis, loquar? Quos etiam tribus superioribus saeculis adversus eos omnes Christus excitaverit bellatores, Baronios, Cajetanos, Bellarminos, Sotos, Petavios, Suarios, Ajas, Maldonatos, Medinas, quos Maluendas, Pererios, Castrios, Marianas? Quos deinceps, ex omnibus omnino ordinibus Christiani nominis, pro Scripturarum sacrarum veritate tuenda, pro perpetua Dogmatum traditione asserenda, pro Philosophorum tumida insania, sannisque et calumniis diluendis, proterendis, dissipandis, fortissimos propugnatores, eosdemque doctissimos, et eloquentissimos triumphatores miserit? Io igitur aeternum victori Christo, et ejus sponsae Ecclesiae, io iterum et saepius, io triumphe!

Peractum mihi, A. A., exactumque, ut arbitror, opus est; et id, quod dudum, et nuper promiseram, etiam praestitum. Quaeenam esse debeat veri et germani christiani Doctoris idea, quibus illum artibus, quibusque doctrinis ornatum, ad Christi praelia ineunda accedere oporteat, et firmis rationum momentis, et gravissima P. P. auctoritate, et ab Apostolis ad haec usque tempora magnorum quorumcumque virorum propositis exemplis, ostendi. Reliquum igitur est, ut iisdem no-

bis vestigiis insistendum, iisdem studiis, et artibus, eodem in Christum et ejus Ecclesiam amoris ardore, siquidem salvi esse velimus, certandum nobis esse existimemus. Siquidem, inquam, salvi esse velimus. Circumspicite enim, oro vos, Sapientissimi Viri, circumspicite omnia diligenter. Non diu est, quum nobis etiam licuit Tragica illa Ennii declamare:

O Pater! o Patria! o Priami Domus!

Haec omnia vidi inflammari,

Priamo vi vitam evitari,

Jovis aram sanguine turpari. (Cic. Tusc. III.)

Fateor, volente Deo, concidisse ventos, posuisse fluctus. Sed facile intelligitis, nos nihil aliud nisi per ignes incedere

Suppositos cineri doloso. (Horat.)

Quo enim Majorum nostrorum Pietas, quod publici mores, quod ille juventutis ardor ad virtutem, ad gloriam, ad sapientiam abierunt? Pro Evangelio Christi, Milesias fabulas; pro pristina morum disciplina, nescio quam *Universalem Ethicam*, ad Lucretianos canones, ex hortis Epicuri decerptam; pro mente et recta ratione excolenda, ea tantum, quae doceant ad voluptarios sensus res omnes et officia exigere; innumeri sunt qui quotidie ex omni parte deceptae, et miserè proditae juventuti propinent. Quam lubricae igitur, his moribus, et hac vitâ, adolescentiae viae proponuntur? Ejusmodi certe, quibus diutius insistere sine publica rerum prolapsione vix possit. Nec interea omnes non adhibentur artes ad Dei Domum Ecclesiam, si fieri unquam posset, funditus everendam. (21) Novis quidem artibus pugnant; sed, mihi credite, pugnant acriter. Bella inquit aliquando tandem esse ponenda; pacemque post tot

saecula, tot strages, tot funera, lupos inter et oves ineundam. Audio. Videlicet

Hoc Ithacus velit, et magno mercentur Atridae:

(Virg.)

verum non haec catholica Hispani nominis gloria; non his orti majoribus sumus, ut victi, Christi hostibus manus demus. Immo omnes nobis potius ex adverso adhibendae sunt artes, quo propositas bonis viris insidias, et aliud agenti adolescentiae, repellamus. Unus igitur hic tam praeclarae rei perficiendae nos ardor inflammet. Una nos omnes sacra animorum conjunctio, studiis quibusvis partium procul missis, ad Patriae, ad Ecclesiae, ad Christi gloriam promovendam et impellat, et regat. Hoc uno censeatur nomine unusquisque nostrum, Clarissimi Viri, *Hispanus, Catholicus*. Hoc unum nobis sit ad ineunda pro Christo, et Ecclesia praelia militare symbolum, haec tessera, haec lex.

Sed juremus in haec: (Horat.)

Simul atque aliquem senserimus, illud Apostolo tantopere detestatum: *Ego sum Cephae, ego Apollo, ego Pauli*, conjunctioni animorum solvendae jactare; hunc catholicae concordiae et pacis hostem diris omnibus devovendum, et ad ultimas Oceani insulas deportandum.

DIXI.

NOTAE

(1) Est aliquid, quod hinc te moneam ante omnia, Lector Benevole. Quam sit ampla hujus Orationis materies facile, ut opinor, intelligis. Si mihi igitur singulis in locis singuli essent appellandi scriptores, et Doctores catholici, et singulis orandi laudatiunculis; oro te, quae me finis maneret? Igitur et pugnas graviores, et hostes infensiores, et defensores Ecclesiae clariores in medium protuli, quod fuit Argumentum proposito satis superque. Caeteros sciens prudens praeteri, ne taedio auditores conficerem. Haec igitur semel dixisse sit satis.

(2) Atque haec quidem ferme sufficere verum est. Incidunt tamen non raro tempora, quibus ne hinc quidem tenui fideli plebeculae eadem illa satis fuerit dixisse vel centies; sortitae scilicet errantem ducem, eundemque sanctitate aliqua praeditum; sed rusticam, et ineruditam. Anthropomorphitici erroris (V. Cassianum Coll. X.), et Eutyctianae pestis auctores satis sit in memoriam revocare, sanctos illos quidem, ut putabantur, homines; sed, cum Hieronymo loquar, *rusticis sanctos*, sive, quod eodem recidit, ineruditos.

(3) Certè res aperte non constat. Videtur quidem in libro de Script. Eccl. ed pendere Hieronymus. Sed animadvertendum, haec ibi illum non plane asserere, sed *ut ajunt* interponere: quemadmodum in Bibl. Photius nihil nisi *Quævi*. Quod Hieronymus ibidem ait de Philonis opere singulari, *De Asceticis*, sive *De Vita Supplicum*, Philonem ibi in nostrorum laudibus esse versatum, eorum qui Marci Evangelistae essent discipuli; id totum ex Eusebio (H. E. II.) sumptum apparet. Sic enim Eusebius. *Editus etiam ab eo est liber De Vita Theoretica, sive Supplicum; ex quo ea, quae diximus de Apostolicorum hominum vita, desumpsimus.* Opinionem igitur Eusebii Hieronymus sequitur. Quod autem dico, Philonem Alexandrinae Scholae Allegoricorum Scripturae Commentariorum auctorem fuisse, id et ex Eusebio, et Bibl. Photii constare videtur. Ita enim Eusebius. H. E. II. *Sublimi et excelso ingenio Philo varium, et multiplex adhibuit sacras Scripturas interpretandi genus.* Alexandriae sollicit, Apostolorum aetate. Photius Bibl. Cod. CIV. Egregium, uti solet, et valde criticum de Philonis rebus, et scriptis offert judicium. Ibi inter alia haec: *Commentaria etiam* (edidit) in

Vetus Testamentum; in quibus sunt pleraque, non sine aliqua vi allegorice exposita. Ex quo, inquit, existimo, totum hoc allegoricum interpretandi genus fuisse in Ecclesiam. Alexandrinam praesertim: hinc etiam Origenes, et reliqui ferè Alexandrini allegorici maxime. Tametsi, ut verum fatear, res ipsa multò mihi videtur antiquior. Paulus enim, Gamalielis discipulus, quoties et urget et docet allegorice, et typis? Abusus igitur Philonis, et Alexandrinorum quorundam, fortasse fuerit; at allegoriarum et typorum modestus et sapiens usus certissimè à Sancto Spiritu utrique fuit et Judaicae, et Christianae Ecclesiae divinitus traditus.

(4) Neque ex sententia solum; sed eadem, et iisdem pendè verbis. Praecipua desumam ex Augustino *De Civitate Dei*, et *De Doctrina Christiana*: ex Nazianzeni Apologetico: et Hieronymi Epistolis, et Apologiis: ex libris Chrysostomi *De Sacrosdotio*, libro praesertim IV. et deinceps: ex Origene, et Clemente Alexandrino. Ad eos igitur legendos amandabo, si quis me hinc addidisse aliquid magnorum P.P. sententis existimaverit. Legatur ii, et, ut arbitror, facile apparebit, me multò plura, multòque graviora afferre potuisse, quae prudens sciens praesens in tempus omisi.

(5) Vix dici aut credi potest quanta mole operum, in speciem eruditissimorum, in tota Cosmogonia, et Cosmographia, omnique Naturae historia, undique susque deque versanda, evertendo Moysi allaborarint Athei nostrae aetatis: sed oleum et operam perdididerunt. Praeter innumeros Religionis Revelatae defensores plane doctissimos, quos norunt omnes, quibusque et Gallia est, et Italia refertissima; juvat hinc impiissimi Athei Dupui breviter meminisse. Hic enim reperit apud Aegyptum, in illa Napoleonis Aegyptiacae expeditione, Zodiaci ejusdem pictura, de Moysè tandem triumphum posse duci existimavit. Itaque ingens opus edidit ineptis philosophicis, et acerbissimis in Moysen et Christum, tanquam deprehensos veritatis hostes, convitiis refertum. At modestis Atheis id displicent; nec laudavit Napoleo. Verum illud turpius; quod et vir eruditissimus Rom. Cur. Prael. Dominicus Testa, nunc Sanctissimo à Litteris Latinis, et alii non pauci viri docti, hominem superbissimum, hujus turpissimis erroribus detectis, silere coegerunt. Atheis ab errore revocandis nihil novi doctius, et copiosius, et ardentiori veritatis amore, opere illo egregio Bernardi Nieuwenyts: inscripto *L'Existence de Dieu Démonstrée*, etc. Quod opus Religionis de-

ensores, praesertim vero Cl. Valsecchius, ex P.P. Praedicatorum Ordine nobilis scriptor, caeterique fere omnes, et probaverunt, et ex eo non parum profecerunt. Adversus Aethiops Aegyptiacos, nihil praestantius clarissimo opere P. L. Guerin du Rocher, ita inscripto: *Histoire Vritable des Temps Fabuleux*. Addatur etiam contra Cosmographicos, et Chronologicos Aethiops, Viri docti, et eloquentis Parâ du Phanjas opus inscriptum: *Les Principes de la Saine Philosophie*. Et adversum obscurissimum Kantium, Zellingeri summi viri ex S. J. opus clarissimum, Augustae Vindelicorum, nisi fallor, editum.

(6) Revocandâ vero? immo in speciem scilicet, et ut incautis fucum faciant, revocandâ. Qui enim praesentem detestantur Ecclesiam, et vetustissimam illam, quae nusquam est, perpetuò appellant; quid aliud agunt, nisi ut, aut nullam jamdiu Ecclesiam Christi superesse conficiant, aut se tandem solos, post diuturnam tot saeculorum intercapedinem, veram esse contendant Christi Ecclesiam? Quibus nihil nisi Augustiniana illa in Donatistas verissime dicta, respondere oportet. Qui praesentem Christi Ecclesiam avertentur, eos satis ostendere, se ne veteri quidem illi, si jam adesset, libenter obtemperaturos.

(7) Hieronymus in Epistola ad Paulinum, quae est de *Institutione Monachi*, atque ita incipit. *Bonus homo de bono cordis Thesaurus* etc.

(8) Videnda Epistola Augustini ad Praesidium. In ea orat Praesidium, communem amicum, ut sibi placet Hieronymum. Atque inter caetera haec habet: *Quibus lectis (Augustini et Hieronymi litteris) facile videbis... motum ejus, quem non frustratum.*

(9) Toto superiore saeculo de hac re innumeros Doctores Catholicos scimus scripsisse, Versiones, Commentaria, Lexica, Dissertationes, quid non? Doctissimus Zacharias S. J. id bono juvenutis providit, ut veluti uno in corpore colligeret dispersa pleraque doctissimorum Schollarum Bibliorum membra. Haec collectio Venetis edita est. Ibi Marianae docta Scholia, ibi Emmanuelis Sa, ibi quidquid Pererius, Serarius, et docti quilibet veterum et recentiorum ediderunt, invenient studiosi adolescenter. Lectionum Saerarum Auctores docti Itali plurimum etiam juvant; Nicolaius vero praesertim, et Doctissimus Xav. Mathaeus.

(10) Romae in Bibliotheca Vaticana ingentem hanc impiorum operum Collectionem attonitus vidi. Ibi Crellius, non in-

doctus, nec indiligens scriptor, a quo deceptum aliqui dicunt Grotium, agmen ducit, apertissimus Christi hostis. Notum est, Socinianos Fratrum Polonorum nomine designari.

(11) Haec attali tantum exempli causa, et properante calamo: Sunt autem hujus generis et in Textu Hebraeo et in Versione Septuaginta virali prope innumera. De *W* quam multa eruditè affert, et dissevit in opere eruditissimo, utnam minus audaci, de *Legibus Hebraeorum*, doctissimus Spencer? Vide eam Tom. II. pag. 684, 685, et deinceps. De *Selah* infinitus essem, si cuncta narrare vellem. Sunt qui *semper*, sunt qui aspirationem quamdam, quod videtur placuisse Docto Viro Germano; de ea re Diatribâ nuper edita, quam non vidi, atque alii alia Theodoretii explicationem semper probavi, et probabo; nihil enim propius ad veritatem mihi videtur accedere: vide illum in *Protheoria in Psalmos. De Deuteroproto*, audi Hieronymum in Ep. ad Nepotianum *De Vita Clericorum. Praeceptor quondam meus Gregorius Nazianzenus, rogatus à me, ut exponeret, quid sibi vellet in Luca Sabbatum Deuteroproton, eleganter lusi: Docebo te, inquiens, super hac re in Ecclesia, in qua, mihi omni populo acclamante, cogis invisit scire quod nescis; aut certe, si solus tacueris, solus ab omnibus stultitiae condemnaberis. Nihil tam facile, addit Hieronymus, quam vilem plebeculam, et indoctam concionem linguae solubilitate decipere, quae, quidquid non intelligit, plus miratur. De Amen omnino videndus vir doctissimus Chischull in *Antiquitatibus Asiaticis*. Multa hic possem addere, ut quae dixi in oratione confirmarem. Sed satis sunt quae retuli ex Doctore, in Scripturis exponendis, Maximo. Itaque manum de tabula.*

(12) De Platone, ut isti ajunt, deceptore Patrum: (quod si P.P., etiam Conciliorum; quod si et Conciliorum, et P.P., etiam Ecclesiae universae: hoc enim agunt isti vel maxime: hinc illae lacrymae, haec loligo mera) et Lutheri, et Calvini, et Jansenii loca singula afferrem, quae habeo prae manibus; sed longum esset exordium, et planè tragicum. Locum tamen indicabo, ubi fere pleraque eorum, certè non pauca, inveniri possunt: in doctissima videlicet Dissertatione viri clarissimi Laurentii Alticoftii S. J. *De Antiquis Novisque Manichaeis*, tom. VII. *Summae Augustiniana*. Pupugit scilicet homines, Liberi Arbitrii hostes, toties illa in Platone et repetita, et demonstrata necessitas Divini Doni (nos Gratiam dicimus), praecipuis obtinendi, ad omne opus bonum, cum libero electionis arbitrio conjuncta. Illud

praecipue ad praedamatorum hominum horrendos, cogeres scriptum: *Αἴτια ἄδικου Οὐδὲ ἀδίκου*. Quod illud est: *Perditio tua ex te*. Haec nec Calvinus ferre potuit, nec Calvini nepotus. Ille potius Homericus Jupiter, qui in Ida sedens, immisso in lanceam modo hanc, modo illam, vario pendere, nunc Danais, nunc Trojanis faveret, hominibus sapientissimis placuit atque Stoicum illud Tragici mirè probarunt:

Quidquid facimus mortale genus,

Quidquid patimur, venit ex alto.

Fatis agitur, cedit fatis. (Senec. Trag.)

Sed istos fatuos, nisi blasphemos malis dicere, dimittamus. Augustinus nobis potius audiendus in II. De Doctrina Christiana, *Philosophi autem qui dicuntur, si qua vera, et Fidei nostrae accommodata dixerunt, maxime vero Platonici* (iandem haec, Amphiaræ Belgicae? ita sane Platonius maxime, ex Augustino) non solum formidanda non sunt, sed ab eis, tanquam injustis possessoribus, in usum nostrum vindicanda.

(13) Adversus Grotii interpretationes, Socinianis saltem percommodas, opus habemus sane praestantissimum P. Balb. S. J. duobus voluminibus. Et priore quidem rationem ipsam interpretandi Catholicam praecclare defendit, et oppugnat haereticam. Posteriori vero ipsas interpretationes Grotianas et ineptas, et aperte falsas ostendit. Italice versum ex Gallico legi hoc opus, Venerabilis editum hoc titulo: *Difesa delle Profexie della Religione Christiana*. Sed legantur praecipue Cl. viri P. Berthier S. J. doctissimi in Isaiam Commentarii, Gallicè scripti, ubi saepe sociniane blasphemiae summa eruditione, et modestia refelluntur.

(14) Hieronymus saepe hoc nomine Paulum laudat ut eruditum et clarum Oratorem: interpretatur etiam (quod sub idem ferè tempus in IV. De Saecordio. In Ep. ad Cor. multo copiosius facit Chrysostomus) verba Pauli, quibus se dicit esse *sermone imperitum*. Sed vitanda ejus Ep. ad Magnum, ubi fuscè de Paulo, de Moysè, Ethnicorum litteris eruditè, deque aliis in hac sententiam permultis. Quae vero de doctrina Pauli saepe leri et eloquentia narrat Chrysostomus, apud ipsum potius legenda, sunt enim et plurima, et longiuscula. Quod vero idem addit; id ipsum sensisse de Paulo et Hebraeos, et Ethnicos: hac etiam aetate inter elegantissimi viri Longini Fragmenta, hoc habemus reliquum de Paulo. Ex editione pulcherrima, Glascae in Aedibus Academicis 1763. Ibi Longinus, postquam summos Scriptores Graecos nominatim appellasset, tanquam ipsum Elo-

quentiae florem haec addit: *Præter istos etiam Paulus Tharsensis, quem sine controversia Principem esse alio Dogmatis in demonstrabilis* (Evangelii scilicet) De iisdem Pauli verbis, ejusque Idiotismo, egregia est interpretatio Origenis. Idiota phrasi, et verbis; ut et ab omnibus intelligeretur, et ne in sublimitate sermonis, more ejus aetatis sophistarum, Corinthi praesertim et Athenis, evacuetur Crux Christi; quod saepe innuit Paulus ipse.

(15) Tametsi millenis possem obruere testimoniis Graecorum et Latinorum Ecclesiae P. P., obscuros quosdam, sed non innocuos, eruditionis hostes; tamen ne Librum non Notam conficiam, contentus ero Augustino in libris *De Doctrina Christiana*. Ibi lib. II. ubi multa de externa historia necessario addicenda; de Philosophis etiam non formidandis, ut alibi diximus, aliisque hujuscemodi dixisset; De vasis aureis, et argenteis Aegyptiorum haec ait. *Nonne aspiciamus quanto auro, argento, et veste suffarcinatus exierit Aegypto Cyprianus, Doctor suavissimus, et Martyr Beatissimus? Quanto Lactantius? Quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? Et ut vivos taceam quanto innumerabiles Graeci? Consule totum opus illud; totum Hieronymum, totosque ferè Chrysostomum, Basilium, Nazianzenum. Quid Synesium? Quid Origenem? Quid Clementem? Cujus, inter alios plures, praecclarus locus est in VI. Stromatum: ibi agit et data opera, et multis, non esse (quod supra ex Augustino audivimus) formidandas verè Gnostico viro, hoc est spirituali Ecclesiae Doctore, profanam saeculi Philosophiam, et reliquas externas disciplinas; sed iis dandam operam diligenter, ut eas in usum nostrum adversus Ecclesiae hostes vindicemus. Quod praecipue urgent omnes P. P. ex Origene in VI. contra Celsum.*

(16) De Origene, quem toties laudari audent, et vituperari, haec adolescentibus vera narro. Praeter illa multa et praecclara, quae tom. I. Oper. Origenis modestè et eruditissimè Vir Cl. ex Benedictina Fam. Carolus Ruauus, et doctissimus Huetius in Origenianis, de hac re disputarunt; eant interim vità compendiarè, et Hieronymum Ep. ad Tranquillinum legant atentè et relegant; ita rectissimum de Origene judicium ferent.

(17) De Methodio haec habeo quae dicam: ejus pleraque scripta non exstare, multa sanè, et praecclara: immo ante Alexandrum VII., Summum Pontificem, vix quidquam certi nisi ex Eusebio et Hieronymo, et magnis veterum laudibus, extitisse. Alexandro demum Pontifice, eodem anno, ex eadem Va-

ticana Bibliotheca, eidem Pontifici dictum opus egregium prodit, à P. P. celebratum, hoc titulo *Constitutum Virginum*. Opus elegantissimum et Graecè et Latinè simul ediderunt, Parisiis alter, alter Romae, duo viri Cl. Possinus; et Holstenius. Uterque in fronte ait, se primum edere, vertere, illustrare Methodium, quum Holstenius interim Bibliothecae Vaticanae esset Praefectus. Id qui fieri poterit, ne Romae quidem satis, certò à Cl. Marinio potui discere. Hoc addam, sub finem Operis, D. Theodam Hymnum Sponso Christo praecinere. Hunc Hymnum ajo, quod Docti illi viri non satis videntur animadvertisse, metricum esse, et planè Jambicum; Dorico tamen caractere (cujus rei restant ibi aperta vestigia) ut plerumque ad Lyram, scriptum à Methodio fuisse. Hoc denique animadvertendum: Ex hoc loco, et Hymno maxime ostendi posse, vera esse, si Clausulam excipias, Acta Martyrii Divae Theclae, à viro Cl. Ernesto Grabe jamdiu in *Spicilegio* edita etc. Ita ut mirari satis non possim, cur vir doctissimus ex Benedictina Fam. Ruinartius Acta Martyrii, tantopere à tota antiquitate testati, et Cl., ac sapientissimi Martyris testimonio firmati, ne appellaverit quidem: quum non pauca afferat minore non paullò auctoritate innixa.

(18) Quid hic velim, eruditi Theologi facile intelligent. De magnorum P. P. Basilii, et Nazianzeni *Philocalia* loquor. Eò PP. gravissimi congesserunt quidquid de Gratia et Libero Arbitrio cum tota Christi Ecclesia sentiebant, sententiis ex Apologia Origeniana desumptis. Sed ea ex Antistropho, ut Graeci ajunt, hoc est, è diametro, Calvinianis blasphemis, adversantur.

(19) Quod saepe Porphyrium, et Symmachum dixi et nobiles et pertimescendos hostes; id dixi, quod etiam P. P. testimonio testatum accepimus. Nolo Notam testimoniis obruere. De Porphyrio consulatur praesertim Holstenius, in *Vita Porphyrii*. De eodem et Symmacho legendus vir Cl., in ipso adolescentiae flore doctissimus, Angelus Majus, in *Notis*, et *Praefationibus* ad amborum Opera, nunc primum Mediolani à Majo è Manuscriptis eruta, edita, et illustrata, Typis Regiis; et Symmachi quidem a. MDCCXV. Porphyrii vero a. MDCCCVI. Ibi abundè omnia. Quamquam de Symmacho multa jam dixerat vir Cl. Faustinus Arevalo S. J. in praecleara illa sua Editione Prudentii. Ac de Porphyrio quidem satis sit, quod is ab Augustino (De Civitate Dei XIX. 22.) dicitur: *Doctissimus Philosopharum Porphyrius*: et ab ejus adversario Euseb. V. De Praeparatione Evangelica vocatur, *Nobilis Graecorum Philosophus*.

et mirus Theologus. Symmachus etiam non ab alio facile, magis laudatur, quam à Prudentio in Libris contra Symmachum, ubi inter alia haec:

*O linguam miro verborum fonte fluentem
Romani decus eloquii.....*

et deinde:

Quo nunc nemo disertior.

(20) Qui de Paulo Samosateno multa velit, videat Theodoretum *haeticarum fabularum* lib. II. cap. VIII. et Chrysostomum *Hom. in Jo: tom. VIII. Montfauc.* ubi de Paulò: *γυναικι τινι χαλκίδεσσι: foeminae gratificatus* est. Idem Athan. in *Ep. ad Solitarios*. Erat autem foemina illa Zenobia, Palmirenorum Regina, vel Judaea, vel Judaea favens. Itaque eam ut sibi Paulus conciliaret, Christum nihil nisi hominem fecit, Prophetam videlicet, Prophetis reliquis praestantiorum. Vide Theodoretum in *Breviar. Haer.* Et Eusebium *H. E. lib. V.*

(21) Quod hic narro de occulta, eademque gravissima praesente pugna: hoc quidem meum non est. Summus ipse Ecclesiae Catholicae Vertex, incorruptae Constantinae, Apostolicae doctrinae et sanctitatis, SS. D. N. Pius VII., Litteris non ita pridem datis ad Gnaecensem Primate, apertissime id toti Ecclesiae denuntiat. Ejus Epistolae particulam in Actis publicis Matritensibus (*Gazetam* dicimus) superiore anno omnes legimus, et ingenuimus.